

Franckesche Stiftungen zu Halle

Caii Velleii Paterculi Historiae Romanae Ad M. Vinicium Cos. Libri Dvo Qvantvm Exstant

Velleius <Paterculus>

Halae, MDCCLXXIX.

VD18 12434159

Praefatio.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213763

PRAEFATIO.

Nouam *Velleii Paterculi* editionem iam publici iuris facimus in gratiam antiquitatis Romanæ studiosorum et iuuentutis scholasticæ. Variæ quidem et diuersis temporibus diuulgatæ editiones huius libelli extant; nihilominus tamen plurimarum ex iis, accuratiorumque, fere difficilis sæpius est comparatio: quædam etiam multis mendis scatent, textum præterea infeliciter reuifum lectoribus proponunt. Quibus rationibus ducti, e re esse iudicauimus, nouam *Velleii* editionem adornare, quæ viliore pretio vñum proflare possit.

Quod ad præsentem *Velleii Paterculi* publicationem attinet, breuibus indicaturi sumus. Textum nostri scriptoris secundum exemplar WALCHIANUM, Lipsiæ anno MDCCXII in lucem publicam emissum, omni fide, qua fieri potuit, exscribere cu-

rauimus: *accessiones* vero memoratae editionis nostras facere, minus nobis consultum esse videbatur, cuiusmodi ibi sunt *annales Velleiani* ab HENRICO DODWELLO optime concinnati, CHRISTOPHORI CELLARII *excerpta* ex iisdem annalibus, nec non GERARDI IOANNIS VOSSII de *Velleio Paterculo* recensio: satis nobis fuit, nudum textum *Velleii* inde depromere.

Meruit *Velleius* hic *Paterculus* egregia *encomia* virorum eruditione clarorum, quorum magnus numerus in fronte MILLERIANAE editionis, Berolini nuper splendidis typis procuratae, collectus comparet. Obiicitur autem inter alia auctori nostro ab ANTONIO POSSEVINO *), eum ordine non satis accurate librum suum conscripisse. Id quod tamen IVSTO LIPSIUS longe aliter visum, de compendio hoc Velleiano ita differenti **): *Iudicio et ordine scriptum, et quod exemplar pleniori chronologiae sit ad imitandum.*

Ve-

*) *Possevinus in biblioth. selecta lib. XVI. de historicis cap. 14.*

**) *Lipsius in III. Centur. epist. miscell. 61.*

Verissimum hoc LIPSII iudicium an-
fam nobis dedit, ex conatibus nostris in lu-
cem publicam proferendi *specimen* quod-
dam *chronologiae*, qua Velleii Paterculi histo-
ria Romana nititur: quod in calce huius
libri adiectum lector inueniet. Speramus,
id longe maiorem iis vilitatem adferre
posse, qui Velleium legunt, quam *vita Velleii*
soli chronologice digesta, cuiusmodi anna-
les DODWELLVS prolixè satis elaborauit,
et per se quidem non contemnendi sunt.

Habuit Velleius noster *peculiare chrono-*
logiae systema, cui historiam suam superstru-
xit: quare frequenter et distincte annos
rerum gestarum indicat. In horum men-
tione vero quædam prodeunt alibi non oc-
currentia, alia autem a fastis consulum Ro-
manorum hodie exstantibus discrepantia,
quædam incuria librariorum deprauata.
Quibus consideratis, calculum ad Velleii
mentem instituendo, incidimus in insignio-
res quosdam *neuos et defectus fastorum con-*
sularium, nostris temporibus superstitem;
quorum mentionem in adiecto *specimine*
facere non dubitauimus, hoc sine, ut eo

magis patefeat veritas chronologiae *Velleii* nostri.

Memoranda etiam videtur insignis in *Velleii* systemate mentio anni primi, quo *Ninus* ille primus, *Beli Assyriaci filius*, (a *Nino* altero *IUSTINI* ET *CTESIAE*, *Dercetadarum* parente, diuersus) imperium *Astae* superioris administravit. Primus iste *Nini* annus maxima ex parte idem fuit cum anno *CLCCCCXCV* ante consulatum *Vinicii*, coepit vero iam anno labente *CLCCCCXCVI* *Viniciano*, cui responderet annus periodi *Iulianae* 3247, quo *Belus* mortem obiit. Ab hoc *Nini* initio si retro numerantur anni *LXV* cum *AUGUSTINO*, certissime inuenitur indubitatum initium regiminis *Beli Assyriaci*: a cuius anno *XXVII* corrente retro numerando, vera tempora *Mardocentis Arabis* *Babylone* regnantis, et *Euechoi Chaldaei*, tuto deprehendere possumus: inde porro metiri licet, quantum temporis supersit numeranti vsque ad initia *Nimrodi* et conditam *Babylonem*, immo vsque ad verum annum diluuii *Noachici*. Sine his temporum notis, haecenus aut ignoratis, aut minus

nus

mus bene intellectis, (licet ea non sint vnica,) integritas calculi Mosaici in Hebraeo pentateuchi codice vindicari nequit.

Sed de his satis. De *methodo Velleii* in conscribenda historia quædam adhuc addamus. Partitus is est opus suum in libros duos. *Priore libro*, qui maxima parte mutilus ad nos peruenit, quædam de *regnum origine*, *summisque imperiis*, *Asiatico* Babyloniorum, *Persico* Cyri, *Macedonico* Alexandri magni, *Velleius* præmisisse, eorumque durationes cum *Romani imperii* diuturnitate et præstantia comparasse videtur; et hinc patet ratio, quare ad ætates *Euechoi* et *Nini* prouocauit. Deinde *res Græcorum* breuiter exposuit, quibus ea, quæ ante *Romulum* in Italia contigerunt, immixta videntur fuisse. Hinc transit ad *Romulum*, *Romanique* ab eo conditam; cuius et *successorum gesta* percurrrens, potiora porro *sub consulibus* bella gesta egregio pertractauit stilo, *delectu et iudicio*, vsque ad *euersam Carthaginem*. Huc perducta *prioris historiae parte*, recenset *Velleius colonias Romanas*,
quæ,

quæ, quoque tempore, fuerint deductæ; cum narratione de statu *eruditionis Græcorum Romanorumque* volumen primum claudens.

Volumine posteriore persequitur res Romanorum vsque ad mortem *Mithridatis*. Deinde interiecta recensione *provinciarum imperii Romani*, quibus modis acquisitæ fuerint, percurrit res Romanas vsque ad finem *bellorum ciuilium*. Tum res *Augusti* monarchæ describit vsque ad eius obitum. Res tandem *Tiberii* auspiciis gestas, ante et post *Augusti* mortem, recenset, finem narrationis in commemoratione *mortis Liuiæ* faciens. Operi suo votum in fine adiecit, quale etiam fronti eiusdem apposuisse eum, verosimile est.

Faxit Numen vere optimum maximum, vt opera nostra, in edendo hoc *Velleii* libro collocata, concedat in sanctissimi nominis sui gloriam.

Hal. M DCC LXII.

G. I. S.

C. VEL